HOMILIARIUM, U.A. GREGORIUS MAGNUS

Entstehungsort unbestimmt, 1424 Seite 37r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35053
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

tacemus eorum procul dubio peccata
manducamus. Pensemus ergo cuius
sit apud deum criminis peccatorum pretium
manducare et nihil contra
peccata praedicando agere. Audiamus
quid beatus Iob voce dicatur. Si
adversum me terra mea clamat.
et cum ipsa sulci eius deflent.
si fructus eius comedi absque
pecunia. Terra enim contra possesso-
rem clamat quando contra pasto-
rem suum iuste ecclesia murmu-
rat. Cuius etiam sulci deflent
si corda audientium quae apte
dentibus sunt patribus praedicatio-
nis voce et vigore in vectio-
nis exarata. vident aliquid
quod lugeant de vita pastoris.
Cuius vero terrae fructus possessor
bonus sine pecunia non man-
ducat. quia districtus pastor
purgat talentum sibi ne ad dam-
nationem suam de ecclesiae stipen-
dio sumat alimentum. Tunc enim
de terra nostra cum pecunia fructum
comedimus quando sumentes ecclesiae
subsidia stipendia in praedi-
catione laboramus. Praecones nam-
que venturi iudicis sumus. Quis
ergo venturum iudicem nuntiabit
si praeco tacet. Hinc considerand
considerandum nobis est. ut in
quantum valet quisque in quantum
sufficit et terrorem venturi
iudicis et dulcedinem regni sus-
cepti ecclesiae insinuare con-
tendat. Et quia una eademque
exhortationis voce non sufficit.
simul cunctos admonere debet singu-
los in quantum valet instruere
privatis locutionibus aedificare ex-
hortatione simplici fructum in filiorum
suorum cordibus exquirere. Debet
namque pensare continue quod sanctis
apostolis dicitur et per apostolos nobis
Vos estis sal terrae. Si igitur sal
sumus condire mentes fidelium
debemus. Vos igitur qui pastores
estis pensate quia dei animalia
pascitis. De quibus profecto anima-
libus deo per psalmistam dicitur
Animalia tua habitabunt in ea.
Et saepe videmus quod petra salis
brutis animalibus ponitur ut ex
eadem petra salis lambere de-
beant et meliorari. Quasi ergo
inter bruta animalia petra salis de-
bet esse sacerdos in populis. Curare
autem sacerdotem necesse est quae sin-
gulis dicat. unumquemque qualiter
moneat. ut quisquis sacerdoti
iungitur quasi ex salis tactu
aeternae vitae sapore condiatur.
Sal etenim terrae non sumus si corda
audientium non condimus. Quod
profecto condimentum ille veraciter
proximo impendit qui
praedicationis verbum non subtrahit.
Sed tunc vere aliis recta praedicamus
si dicta rebus ostendimus si nos
metipsi divino amore compungi-
mur et humanae vitae quae sine
culpa transire nequaquam potest
cottidianas maculas lacrimis
lavamus. Tunc autem de nobis vere
compungimur si studiose patrum
praecedentium facta pensamus. ut
ex conspecta illorum gloria in nostris
nobis oculis nostra vita sordescat